


2182.

Xf. 72.

CHARLES
OP. 100.
CONCERT
PIANO
A. D.
PUBLICE
FRIEDRICKS WILHELMUS
S. K.
WILHELMUS
P. A. M. F. A. R. I. E. T.
1781





DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

E X H I B E N S

TOXICOLOGIAE
THEORETICAE
DELINEATIONEM

Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

C A R O L O A V G V S T O

D V C E SAXONIAE I V L I A C I C L I V I A E M O N T I V M
A N G A R I A E E T G V E S T P H A L I A E L A N D G R A V I O
T H V R I N G I A E R E L .

C O N S E N T I E N T E G R A T I O S O M E D I C O R V M

O R D I N E

P R O I V R I B V S D O C T O R I S

M E D I C I N A E E T C H I R V R G I A E

R I T E O B T I N E N D I S

A . D . XXV. I V L I I M D C C L X X X V .

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

F R I D E R I C V S W I L H E L M V S C A R O L V S

S V C C O W

I E N E N S I S

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET SOCIETATIS PHYSICAE

I E N E N S I S S O D A L I S

P A R T I C V L A P R I O R .

I E N A E
T Y P I S F I E D L E R I .

DIGESTUS THERAPEUTICAE MEDICOE
TOXICOLOGIAE
THYROIDITICAE
DIENATIONUM

HISTORICAE ACCHADEMIAE MAGDEBVRGENSIS
SOCIETATIS ET BOTANICAE AG'DOMINIO
BONIUS

CAROL. VAGASIO

DISCOURSES OF THE CHAIR MONTELLA
D'ABRASER ET DE LA VILLE D'ABRASER
L'EDITION DE

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUR ALLE

LUDV. CAROL. VAGASIO

VIRO ILLVSTRI
IOAN. LAVR. DAN.
SVCCOW
PHILOSOPHIAE DOCTORI

SERENISSIMO DVCI SAXO-VINARIENSI ET ISENACENSI A
CONSILIIS CAMERALIVM PHILOSOPHIAE NATVRALIS ET
CAMERALIVM P. P. O. SOCIETATIS REGIAE AGRARIA DA-
NICAЕ DRONTHEMENSIS REGIAE BORVSSICAE SCIENTIAR.
FRANCOFVRT. AD VIADRVM REGIAE OLIM AGRARIAS
#ARIS. SILES. CVI PATRIA CVRAE EST SCIENTIAR. MO-
GVNT. UTILIVM ET PHYSICAE IENENSIS SODALE
NEC NON SOCIETATIS TEVTON. IENENSIS
DIRECTORI

PATRI SVO
SUMMA PIETATE COLENDO

SPECIMEN HOC QVALECVNQVE

IN

TESSE RAM

PIETATIS REVERENTIAE GRATITUDINIS
OMNI QVA DECE^T OBSERVANTIA

Д. Д. Д.
ДИЛАУТАК ЧАЛЮСИЧИН МИЛЕНАНО СИЛВА
ДАЛАНДА ГАІОРН КІТАІЗІОЛ О.І.М.Х. ЕВІЛЯЛІДІ
МАІТЕІІСІХ АЛІСІОН ГАІОРН СІЛВА НАІІЛІРДА БАНТ
ДАЛАНДА МІКО ГАІДЕР РІСІСАЛЫ НА СІРІСОМАЛ
ОІІ МАІТЕІІСІХ ТАМ ЗАТЫО АМТАІІІСІ, БІЛЕСІЛАН
ЕІІМІННЕ СОЛДАТ ЕІІМІННЕ НАІІЛІРДА БІЛІТТІВ, АЛДО
СІЛВАДІ СІЛВАДІ СІЛВАДІ СІЛВАДІ СІЛВАДІ СІЛВАДІ

A V C T O R.

P R A E F A T I O.

In conscribenda hacce dissertatione id
potissimum spectavi, ut hocce opuscu-
lum et specimini inaugurali, et praelec-
tionibus, in posterum a me continuan-
dis, idoneum esset. Hinc factum est, ut
multa, quae forte uberior explicari mere-
antur, breviter quidem et strictim, nec
tamen obscure, ut opinor, dicta sint.
Displacet enim, nec praelectionibus satis
aptum est scribendi genus, quod magna
verborum ambage nihil solidi continet.

A. 5

Quam

Quam vero nunc vides B. L. dissertationem maioris libelli prodromum potius, quam opus finitum esse existimam. Nam plura, quae explicanda admodum supersunt, mox quoque litteris impri-
menda curabo.

Intro-

INTRODVCTIO.

§. 2.

Multae res extant, eaeque diuersissimi generis, quae cum vitae sanitatique insidias parant, potentiarum nocentium nomine apud medicos celebrantur. Quae eti fere innumerae sint, tamen ad duas classes commod referri posse videntur, quarum altera immateriales complectitur i. e. animam eiusque noxias in corpus animale actiones, altera materiales, quarum pars magna extra corpus posita est, atque forinsecus applicata nocet, paucae in ipso corpore procreatæ ac latentes grauius urgent ac periculosius infestant.

A 4

§. 2.

I. V E N E N V M.

Rebus noxiis e materialium ordine adnumeranda sunt **venena**, sub quibus intelligitur **corpus** quodvis **viribus** **chemicis** **corpori animali** **noxium**.

C O R O L L A R I V M I.

Non dubito, fore permultos, quibus ego vituperandus videar, quod in definiendo veneno ab aliorum opinionibus fecesserim, qui de eodem argumento scripserunt. Quam ob rem ut intelligent lectores, quibus potissimum argumentis ego permotus a sueta aliorum via deflectere ausim, opus est in explicanda veneni notione paullulum commorari.

Omnes sane medici in eo consentiunt, **venenum esse nullum**, nisi quod noxam indeleibilem vel internecinam inferat corpori animali. Nam licet ipsa venena parca quantitate ac caute data saepe pro praefidio sint corpori nostro, facile tamen perspicitur, venenorum nomen iis ob noxam deberi, quam, nisi per naturam vel artem vel auferantur, vel moliantur, vitae sanitatiique certo inferre solent. Multae vero res extant, quae quamvis inimicae sunt bonae valetudini, venenorum tamen nomine haudquaquam comprehenduntur. Ita, ut exemplo utar, nec gladius, nec alia instrumenta corpus violentia, venenis adnumerari solent, Arsenicum, Opium, Cicta et id genus alia nocentia veneni nomen gerunt. Ex quo colligitur praeter hanc vim nocentem
cuique

enique veneno infitam et aliam requiri conditionem,
sine qua veneni notio rite constitui non potest.

Quae si quis curatius considerare velit, facile perspiciet
res vitae sanitatis noxias tum demum merexi veneno-
rum nomen, cum noxae, quas corpori inferunt, ex
chemica quadam earum actione proficiantur.
Inde enim sit, quod instrumenta, quae aut secando,
aut tundendo, aut pungendo corpus male afficiunt, ad
venenorū classim referri non possint, cum noxiis,
quos edunt, effectus actioni mechanicae potius, quam
chemicae tribuendi sint. Ad detrimenta quod attinet
quae ab arsenico, opio aut aliis his similibus producun-
tur, inficiari non poteris, noxios hosce effectus a che-
mica partium constituentium mixtura vnicē proficiunt,
et hac mutata, ipsi simul commutentur effectus necesse est.
Quis enim est, qui nesciat, arsenicum ob acidam poti-
ssimum, quae ipsi inest, acrimoniam corpori nocere?
Noxae autem, quae ab acido proficiuntur, chemicae
partium actioni potissimum tribuendae sunt.

Quibus rite penitatis, facile intelligi potest, ve-
ne-
na mecha-
nica omnino esse nulla; Quae quamvis
in eo convenient cum venenis propriè dictis, quod
simili forma cum corpore communicentur, haudqua-
quam tamen venenorū ordini adnumeranda esse duco.
Nam dolichum prurientem si spœtas, aut adamantem
vitrumque in pulvrem redactum, aut multa alia, quae
ad venena mecha-
nica vulgo referri solent; non poteris
non profiteri, quod noxiis, quos edunt, effectus,
rosio ac inflammatio, a quadam mecha-
nica aequè
pronenant, ac qui a cultro, gladio vel acu prodi-
cuntur.

Quibus ita se habentibus, sequitur, venenorum numerum neque tam ingentem esse, ac multis visum est, neque tam exiguum, ut ad paucissima tantum genera redigi possit. Nullus enim dubitavi et ulcera multa, et coctae theaque potum, et ipsa medicamina, multaque alia venenorum ordini adnumerare, quorum vires nocivae, eti nonnunquam levissimae sint, tamen plane nullae habendae sunt. Quid enim, quae sibi interest inter sensum levem obnubilationem, quae a vino, et graviorem eam, quae ab opio proficiscitur, nisi quod gradu differat effectus uterque? Quae autem non re ipsa, sed gradu tantum diversa sunt, ad unam eandemque classem referri merentur.

Neque silentio praetereundum est, quod non solum ea corpora, quae animalibus nocent, sed et ea, quae vegetabilibus detimento sunt, venenorum nomine comprehendere possis. Vegetabilia enim cum animalibus in eis convenient, quod aequum ac haec et vita, et valetudine suuantur, multisque rebus pateant, quibus aut laedi, aut destrui possint. Nobis autem, neglectis ceteris omnibus, de iis tantum venenis differere animus est, quas solis animalibus, et homini potissimum, obfunt, et sensu strictiori ac consueto venena nominari solent.

C O R O L L A R I V M . 2.

Supereft, ut et aliorum de veneno notiones paucis commemoremus. *) Atque primo ILL. IO. FRID.

GME-

*) Vereor, ne sint multi, qui arrogantiae tribuant, quod oppugnare auctis suis magnorum virorum opiniones. Quae vero dicta sunt, absque illa iniuriae hypacione excipi velim. Scribenti licet aliorum iudicia vel commenta aestimare, sed sine ira et partium studio.

GMELINI *) definitionem proponere placet, quam hisce
verbis exhibuit:

Gifte sind Körper, welche durch bloße
körperliche, meistens noch nicht hin-
länglich bekannte Kräfte, dem Men-
schen an seiner Gesundheit oder gar an
seinem Leben einen unwiederbringli-
chen Schaden zufügen.

Ego vero confiteor, me non satis perspicere,
quid sub virium corporalium (körperliche
Kräfte) nomine auctor celeberrimus intelligat. Om-
nes enim, me iudice, corporum vires corporales esse
debent, nec ullum ideo cogitari potest venenum, abs-
que tali vi corporea, cum omne venenum etiam cor-
pus sit. Nec ad vires occultas (nicht hin-
länglich bekannte Kräfte) respiciendum esse
arbitror, cum vis omnis per se spectata obscura sit at-
que occulta, nec unquam, nisi effectu, quem edit,
cognosci possit. Neque in eo assentire possum Viro
Illustri, quod ea tantum corpora venenis adnumeranda
esse censeat, quae damnum irreparabile (ei-
nen unwiederbringlichen Schaden) corpori
nostro inferant, cum nulla sane sit ratio, quare nec alia,
minus graviter nocentia, ad venenorum numerum re-
ferrri et possint, et debeant. Ranunculus Flammula
vel Lingua LINN. et multa alia, etiam si ulcuscula tan-
tum levia ac facile sananda in eute producunt, tamen
et quocunque fere auctore, quin ab ILL. GMELINO
ipso

*) Allgemeine Geschichte der Gifte entworfen von Io.
FRIEDR. GMELIN. Erster Theil. Leipzig 1796. p. 7.

ipso, venenis adnumerari solent. Quare ab hoc discrimine nunquam repeterem veneni notionem.

Quid Celeberrimo Ioh. IAC. PLENCKIO *) venenum sit, his verbis colligi potest:

Gifte nennt man alles dasjenige, welches in sehr kleiner Menge, in oder an den menschlichen Körper gebracht, vermöge einer besondern Krafft, schwere Krankheiten oder den Tod selbst verursacht.

Plura in hac definitione occurunt, quibus ego affentire nullo modo possum.

Primo enim nullos inter dosis magnam et parvam limites hic constitutos esse video, neque unquam eos consequi posse arbitror, cum quae dosis parva est alteri, alterum quam maxime offendat. Quare in definiendo veneno nullam quantitatis rationem habere vellem. Deinde nec explicavit Vir Clarissimus, quid virium peculiarium (eine besondere Krafft) morbiique gravioris (schwere Krankheit) nomine intelligi velit. Omnis enim vis corpori insita propria quaedam ac peculiaris esse debet, nec tam certum ac definitum inter morbos graues levesque discrinere est, ut eos rite a se invicem distinguerem possis.

Sequi-

*) Toxicologie, Wien 1785.

Sequitur Clarissimi I. E. FERD. SCHVLZE *) de veneno definitio, quam ipse in libello toxicologico hoc modo proposuit:

Venenum est, quodcunque parce sumtum
(i. e. non ultra drachmam vnam) magna corpori animali noxam infert.

Sed quisque artis peritus facile intelliget multa arbitraria inesse huic definitioni, cum nulla sane sit ratio, quare drachmae unius pondus pro ultimo venenū termino habeatur. Praeter haec et multa extant venena, quorum doses ratione noxae deleteriae rite finiri nullo modo possunt. Constat enim halitum illum, qui a plantis narcoticis undique diffunditur, item eum, qui in metallifodinis reperitur, neque librationem admittere, neque alium dosin definiendi modum, et pariter tamen, ac multa alia, venenis adnumerandum esse. Neque ad noxae magnitudinem in definiendo veneno respicere vellem, cum nulli sint limites inter noxam magnam levemque, et corpora, quae minus graviter nocent, aequi venenis adnumeranda sint, ac ea, quae magnam labem, quin mortem ipsam corpori inferrent.

Commemoranda etiam est Clarissimi IO. GEORG. PVIHNII **) definitio, cuius propria haec sunt verba;

In

*) Diff. inang. sistens toxicologiam veterum plantas venenatas describentem veteribus cognitas, Halae 1788.

**) Materia Venenaria regni vegetabilis auctore IO. GEORG. PVIHN, Lips. 1785.

In genero venenorum corpus dicitur, quod
animalem naturam in peius mutat ea
ratione, ut effectus inde oriundi, cor-
poris adplicati nec massae, nec exter-
no impulsi debantur.

Quae vero si curiosus considerare velis, insciari
non poteris hanc definitionem cum ea convenire, quam
nos ipsi supra (§. 2.) proposuimus. Effectus enim, qui
nec massae, nec externo impulsu debentur, non, ni-
fi chemicis corporum viribus tribuendi sunt. Quare
cum clariss. P. VHNIVM in hac re medium consentientem
habeo, non est, quod verbis eius explicandis longius
immorer.

Nuperrime Cl. MARC *) venenum sensu latiori ita
describit.

„Wir können unter Gift im weitläufig-
geru Verstande jedes dies begreifen,
welches, wie es unter gewissen schäd-
lichen Bedingungen von innen in den
organisierten Körper gebracht wird,
eine gefährliche oder auch wohl zer-
störende Veränderung in demselben
hervorbringen kann.“

In sensu strictiori ita.

„Wir

*) Allgemeine Bemerkungen über die Gifte und ihre Wir-
kung im menschlichen Körper. Nach Brownischen Sy-
stem dargestellt von L. Chr. H. Marc, Erlang. 1795.
Abschluß T. I. S. 21. et S. 36.

„Wir wollen daher, als Gift in engerer Bedeutung, solche Körper anerkennen, welche in geringerer Quantität und unter den Umständen gebraucht, im Stande sind, die festen und auch die flüssigen Theile des belebten Körpers auffallend zu verändern und endlich zu zerstören.“

Quae vero veneni definitioes iisdem fere vitius
argentur, ac eae, quas supra iam commemo-
ravimus.

§. 5.

II. TOXICOLOGIA.

Ea medicinae pars, qua venenorum scientia traditur, Toxicologia est, cuius variae sunt partes, prout ipsis varia est veneni considerandi ratio. Distribui enim toxicologia potest in theoreticam et adplicatam, utraque in generali et speciale.

Theoretica est, quae in sola venenorum cognitione versatur, cuius pars altera historica ea tradit, quae sensibus offeruntur et deteguntur in venenis, pars vero altera, rationalis, ob hanc causam dicta est, quod rationes reddat eorum, quae circa venena observantur.

Toxi-

Toxicologiae applicatae, cuius est monstrare, quibus usibus adhiberi possit venenorum cognitio, iterum duae sunt partes, quarum altera foli experientiae superstructa est, altera vero rationalis, id est, rationibus nititur, sine quibus vera scientia nec esse, nec cogitari potest.

Toxicologia theoretica ac applicata, et generalis esse potest, et specialis, prout ea, quae pertractantur, vel generalia sunt, vel specialia. Ea pars toxicologiae theoreticae specialis, qua singulæ venenorum species ordine quodam considerantur et explicantur, Materiae venenariae *) nomine a nonnullis comprehendi solet.

§. 4.

Extat et alia toxicologiae divisio, qua quæ ceteræ eius sunt partes, uberiori monstrabitur, Nam cum varia consideranda sunt in venenis, variis quoque partibus ipsa absolui potest toxicologia.

Ac primo quidem dicendum est, in quas partes distribuenda sit toxicologia theoretica,

ca,

*) Materia venenaria regni vegetabilis, auctore PVIHN.
Lipf. 1785.

ea, quae cum in sola venenorum cognitione versetur, singula venenorum momenta comprehendi debet. In venenis ipsis haec consideranda occurantur:

I. Eorum notae necessariae s. essentiales i. e. omnia, quae venenorum essentiam constituant et produnt. Huc referenda sunt:

1. Venenorum vis noxia, (§. 2.) ad quam cognoscendam nos respicere oportet ad ipsos noxios effectus ab his viribus proficiuentes i. e. ad morbos a venenis oriundos. — Inde pars prima toxicologiae theoreticae est Pathologia toxicologica.

2. Venenorum vires chemicae, (§. 2.) quibus producuntur noxii in corpore animali effectus. — Inde Chemia toxicologica.

II. Eorum notae accidentales, quo nomine intelligenda sunt omnia, quae qualvis in venenis reperiantur, nequaquam tamen eorum essentiam constituant. His adnumerandae sunt res omnes, quae neque ad venenorum vim noxiā, neque ad eorum vires chemicas pertinent, scilicet

1. Venenorum qualitates externae i. e. varii habitus, formae, colores aliaque.
2. Ceterae venenorum conditiones, puta origines, modus parandi, locus, quo nascuntur etc.
3. Venenorum vires variae, innocuae aut salubres.

Quae omnia, quatenus a natura data sunt venenis, Historiae naturalis toxicologiae obiectum praebent; Si vero arte profecta et fabricata complectitur, dici potest Pharmacia et Technologia toxicologica denique si venenorum vires salubres spectas, Materia medicatoxicologica.

- III. Eorum notae et necessariae, et accidentales, quatenus sensibus occurrent, et venenorum diagnosis praebent.

§. 5.

Si vero toxicologiam applicatas, qua usus varii a venenorum cognitione ad hominum vitam redundantes explicantur, ea iterum in diuersas partes distribui potest, prout ipsi diuersi sunt usus ex hac cognitione oriundi.

Om.

Omnis autem venenorum scientia his usibus adhiberi potest:

I. Ad venenandos homines. — Inde Ars venenandi.

II. Ad prohibenda veneficia. — Inde Prophylaxis toxicologica. Impeduntur veneficia

1. Tum diaeta rite adhibita, tum usu remediiorum prophylacticorum. — Inde Prophylaxis diaetetica et pharmaceutica.

2. Cautionibus ac legibus a magistratu institutis. — Inde Politia medico-toxicologica (Medizinisch-toxicologische Polizey).

3. Veneficiis institutis. Ita enim infectionis ope variolarum naturalium infectio, cum peior plerumque sit artificiali, prohiberi potest. — Quorum vero veneficiorum prophylacticorum praecepta traduntur in arte venenandi. (No. I.)

III. Ad sanandos mōrbos a venenis protectos. — Inde Therapia toxicologica, quae si a magistratu iubetur, iterum ad Politiam medico-toxicologicam pertinet.

**IV. Ad diiudicanda beneficia ad forum
pertinentia. — Inde Medicina foren-
sis toxicologica.**

**V. Ad varios usus accidentales, qui
spectant materiam medicam, technologiam alias
que.**

§. 6.

Quibus praemissis. perspicitur, qui toxicolo-
giae sit scopus. Omnis venenorum scientia eo
spectare debet, tum ut rerum naturae cognitio-
nem reddit ubiorem, tum, ut praæcepta tra-
dat, quibus hominum saluti prospici possit. Unde
simil conficitur, artem ipsam venenandi non, nisi
hominum vitae sanitatiique consulere debere.

§. 7.

Inde et patet, quaenam toxicologiae utili-
tas insit, quae noxa. Vtius enim toxicologia
tum est, cum scopo suo explicato convenit,
noxia, cum ei aduersa est.

Vtilem itaque esse toxicologiam, ex eo arguas.

1. Quod ex parte eius theoretica uberior
naturae cognitio ad nos redundare debeat, cum
quae

quae sint corporum vires nocentes, ibi explicatur.

2. Quod a parte eius adplicata praecepta tradantur ad detrimenta, quae a venenis proficiuntur, et prohibenda, et tollenda, iureque consultis fontes aperiantur, e quibus caussarum forensium iusta dijudicatio hauriri possit.

3. Quod varii venenorum usus, ad medicorum et opificum commoda redundantes, in toxicologia monstrantur.

Toxicologiam vero et noxam adferre posse, ex eo patet:

1. Quod validissima arma praebeat iis, qui hominum vitam et aggredi, et destruere student.

2. Quod venenorū exploratio, a toxicologia laudata et praescripta, vitae sanitatiq; nonnunquam detimentoſa sit. Experimenta enim, quae circa venenorū naturam institui solent, ita saepe auctori et exploratori pernicioſa sunt, ut magnam et immutabilem corporis labem, quin mortem ipsam inde proficiſci videamus.

3. Quod venenorū in medicina et technologia usus saepenumero periculōſus sit.

Quibus inter se comparatis, conspicuum redditur, maiora inesse toxicologiae commoda, quam detrimenta.

Nam utilitatem si spectas, quam toxicologia praefat, ea tam arcta cum hac coniuncta est, ut neque separari ab ea, neque ab alia unquam scientia impetrari possit. Toxicologia enim siue theoretica sit, siue adplicata, non potest non esse magno hominum emolumento, cum quaecunque theoretica venenorum contemplatio adiunctam semper habeat vberiorem virium naturae cognitionem, nec ulla solidior toxicologiae adplicatio sit absque praeceptis, quibus hominum valedutini bene caueri consulique possit. Quae vero cum non, nisi a toxicologia pertractentur, sequitur, hanc summam utilitatem in sola venenorum scientia quaerendam esse.

At detrimenta quod attinet, quae tum ab incauta venenorum exploratione, tum a dolosa et imprudenti adplicatione ad vitam hominum redundant, ea non tam intime cum toxicologiae studio coniuncta sunt, ut absque iis venenorum scientia nulla esse possit. Etenim licet toxicologia ansam praebeat iis, qui alias aut interficere, aut laedere student, id tamen mali hominum voluntati

tati potius, quam toxicologiae tribendum est.
Huc accedit, quod cuicunque homini doloso tot
tantaque praefidia supersint, quibus aliis insidias
parare valet, ut a toxicologia arma petere ipsi non
opus sit. Damna denique si spectas, quae a vene-
norum exploratione et usu proficiuntur, iis
profecto evadere potest quicunque prudens et sa-
nac mentis experimentator.

§. 9.

Inde etiam colligi potest, quid de praes-
Itantia toxicologiae sentiendum sit. Quo mai-
or rerum copia, quam tractat toxicologia, inde-
que oriunda naturae cognitio est, quo magis
digesta sunt omnia, quo maiora denique commo-
da, e venenorum consideratione ad hominum vi-
tam redundatura, eo maiorem esse puta toxicolo-
giae praefstantiam, cuius summum, quale animo
nobis fingimus, fastigium nos nunquam adepturos
esse, quisque intelliget. qui cogitat, infinitum
esse naturae studium, finitas vero ingenii vires.

§. 10.

Varia vero variis temporibus fuere toxicolo-
giae fata, ita, ut ceterarum artium instar ab exi-
guia origine profecta, magis magisque in dies in-

B. 4

cre-

creverit, donec, ingenti rerum copia adacta, ne-
vaeque artis forma induita, ad nostra usque tem-
pora pervenerit. Hae vero toxicologiae omnis
aevi mutationes sub eiusdem artis Historia
comprehenduntur, cuius varia sunt considerationis
momenta fontesque variis.

Triplex enim fatorum, quae toxicologia per-
pessa est, considerandi locus esse potest. Nam
primo dicendum est, quae ipsae fuerint toxicolo-
giae mutationes, deinde, a quibus caussis sint
repetendae, tum, quae commoda, quae noxae
inde ad toxicologiam redundarint,

Fontes vero, e quibus hauriri debet solidior
historiae toxicologiae cognitio, sunt

1. Ipsius toxicologiae omnis temporis studium,
quo simul cognosci potest, quae fuerint variae
huius artis mutationes.

2. Singula quaevis monumenta historica ad
toxicologiam pertinentia.

3. Rerum externarum, quae vim habere in
toxicologiam solent, diligens consideratio. Quare
nos respicere oportet tum ad temporis cuiuscun-
que rationem, tum ad hominum varias opiniones,
tum ad ceterarum artium, quae toxicologiae fini-
timae

tiae sunt, et medicinae potissimum omnis aevi
conditionem.

§. 11.

III. METHODVS DISCENDI TOXI-
COLOGIAM.

Supereft, ut methodum exhibeamus, qua toxicologia et ediscenda, et amplificanda est. Quare fontes nos aperire oportet, e quibus hauriri potest solidioris toxicologiae studium. Omnis autem venenorū scientia proficiisci debet

1. Ab eruditione de rebus toxicologicis, sive scriptis fiat, sive ore. Praecipua vero, quae toxicologiam spectant, scripta in Historia toxicologiae traduntur.
2. A rerum ipsarum ad toxicologiam pertinentium affidua contemplatione. Contemplari autem debent
 - a. Venena, quorum natura viresque cognosci possunt, tum inspicioendo, tum experimenta et observationes instituendo. Magno itaque studii toxicologici emolumento sunt horti botanici, collectiones, musea et icones venenorū.

- b. Animantium et hominum potissimum corpora, quippe quae et ipsa saepe venena producant, et a venenis afficiantur. Inde cuique toxicologiae studio pernecessaria sunt experimenta circa corpora humana animaliaque instituenda, nec non diligens horum corporum contemplatio, investigatio atque dissectio.
- c. Ceterae res omnes, sive sint naturales, sive arte productae, quae vim habeat ad venena aut procreanda, aut vario modo immutanda. Huc pertinent tum regionis, qua nascentur, venena, variae conditiones, tum ciborum nocentium confectiones, tum multae res aliae, quae his similes sunt.
3. Ab aliis artibus, quae toxicologiae ad fines sunt, quibus adnumerandum est studium Physices, Medicinae, Historiae naturalis, Technologiae cet.

TOXI-

**TOXICOLOGIA THEORETICA
GENERALIS.**

§. 4.

Toxicologiae theoreticae generalis argumentum versatur in cognitione venenorum generali, secundum eorum notas essentiales et accidentales eorumque diagnosis (§. 3. 4. Introd.).

§. 2.

Venenum autem est corpus quodcunque viribus chemicis noxiūm (§. 2. Introd.). Inde patet, 'quaenam sīnt eius notae essentiales, quae accidentales.

Essentiales seu necessariae sūnt

1. Eorum vis noxia.

2. Vi.

2. Vires chemicae, quibus corpori no-
cent.

Ad notas accidentales cetera omnia pertinent,
quae in venenis animadvertisuntur, scilicet variae
eorum qualitates externae et conditio-
nes variae variaeque vires innocuae
aut salutares. (§. 4. Introd.).

Notae vero, sive sint necessariae, sive acci-
dentales, quatenus venena ab iis denotantur,
venenorum diagnosis praebent. (§. 4. Inrod.).

§. 5.

Quibus praemissis, intelligitur, quem ordi-
nem nos sequi oportet in explicando toxicologiae
theoreticae argumento, cum primo exhiberi de-
beant venenorum notae necessariae, deinde acci-
dentales, tum demum eorum signa.

SECTIO

SECTIO PRIOR
DE NOTIS VENENORVM ESSENTIALIBVS.

CAP. I.

DE VENENORVM VI NOXIA.

§. 4.

Primum itaque, quod veneni essentiam constituit, vis eius noxia est (§. 2.). Noxia vero res omnis dicitur, quae aut vitae, aut sanitati detimento est, i. e. vel morbum producit, vel mortem ipsam.

§. 5.

VENENVM ABSOLUTVM ET RELATIVVM.

Duplex cogitari potest vénenum, absolutum scilicet et relativum. Absolutum est, quod, cum

cum agit in corpus animale, nunquam non aut vi-
tae, aut sanitati detimento est. Relatuum vero
tum dici meretur, cum noxae, quas corpori adfer-
untur, certis quibusdam conditionibus adstrictae sunt,
quibus sublati, venenum definit esse noxiun. Ita
opium, ut exemplo utar, non, nisi maiori copia
cum corpore communicatum nocet. Quare, cum
iusta doseos quantitas ea conditio sit, qua sublati,
simil et opii effectus noxius tollitur, sequitur
opium esse venenum relatuum.

§. 6.

Quibus rite consideratis, perspicuum reddi-
tur, venenum absolutum omnino esse nullum.
Nam experientia docemur, venenorum effectus
noxiis semper adstrictos esse quibusdam conditioni-
bus, quibus sublati, venena aut amplius non
nocent, aut salubria reddituntur. Detrimenta enim,
quae corpori nostro a venenis adferri solent, nul-
la sunt, nisi accedit aut ipsius veneni in
corpus agentis certa conditio, aut cor-
poris animalis peculiaris indoles, aut
terum denique circumstantium iusta
ratio. Quae si desunt, aut non rite inter se
conveniunt, venena, licet efficacissima, absque
ulla sanitatis damno cum corpore communicari
possunt.

§. 7.

§. 7.

Ac primo quidem ad ipsius veneni variam conditionem nobis respiciendum est, a qua, tanquam a principe causa, pendent aut noxii, aut innoxii, aut salutares venenorum effectus. Sunt autem hae variae cuiuscunque veneni conditions

1. Dosis.

Nam a dosi varia varii quoque aut noxi, aut innoxii, aut salutares venenorum effectus sunt. Mercurii sublimati corrosivi pars quarta grani adhibita non modo plerumque non nocet, sed non nunquam et salutaris est, contra eiusdem mercurii grana duo aut plura saepenumero funesta sunt.

2. Forma.

Miasma venereum exsiccatum, licet nunquam sit salutare, tamen absque ullo infectionis metu corpori applicari potest. Ab eodem vero miarmate, si sub forma fluida adhibetur, cancros venereos, quin luem ipsam produci videmus. Idem fere et sulphuri accidit. Quod si fumo attrahitur, pulmonibus obest; Si vero sub pulveris forma in corpus ingeritur, aut eminio non nocet, aut salubre est.

3. Ea

3. Ea veneni conditio, qua elementa eius aut a se invicem soluta sunt, aut a ceteris admixtis coercentur.

Nam quo magis libere agere possunt venenosum partes nociae, eo maior plerumque noxa inde ad corpus nostrum redundat. Quare, si aut nullae, aut paucissimae tautum partes nociae a ceteris, quibuscum coniunctae sunt, elementis liberantur, corporis quoque detrimentum haud raro nullum esse solet. Ita plantae narcoticae ceteraque omnes, quae diurno tempore absque ulla sanitatis noxa in cubiculis adservantur, sub noctem ab copiosum, quem undoque spargint antque diffundunt, halitum aut syncopen adferunt, aut mortem ipsam. Nam sole iamiam praecipitante, partes multae nocivae a plantis avolant, quae luce retinentur. Eadem fere ratio multorum miasmatum esse videtur, virus scilicet variolosus, morbososi aliorumque, quae variis regionis aut coeli mutationibus variam quoque homines inficiendi vim habent, ita, ut verosimile sit, horum miasmatum elementa modo dissolui, modo vero vinculis suis velut coerceri, prout varia est regionis coelique in miasmata vis atque potestas.

§. 8.

Altera, eaque haud ignobilis causta, qua sit,
¶t unum idemque venenum modo detimento sum
sit

fit corpori nostro, modo vero innocuum aut salutare, varia corporis, cui applicatur, conditio ac indoles est. (§. 6.). Huc pertinet

1. Ea corporis indoles, quae cuicunque animantium generi aut speciei propria est.

Nam aliis alia nocent, nec idem venenum omnibus animalium generibus detimento esse potest. Hinc cicuta aut belladonnae baccae, hominum dirissima venena, a capris aliquique animantibus impune devorantur. Et pariter venenum viperarum viperis ipsis haudquaquam noxam infert, etiam si homines magnum inde detrimentum capiant.

2. Cuiuscunque individui peculiaris indoles ac conditio, scilicet

a. Idiosyncrasia.

Ita silecum aut rosarum halitus quibusdam infestus est, ut convulsionibus aut animae deliquo statim corripiantur. Iterum cicuta, quae aliis letifera est, ab aliis impune devorata esse fertur.

b. Consuetudo.

Multa adsunt exempla, quibus constat, plures laudani drachmas iis, qui ei assuevere, innocuas, quin potius talubres fuisse.

c. Aetatis, sexus, temperamenti etc.
ratio.

Quo iunior homo aut irritabilior est, eo gravius plerumque infestari solet a venenis, ita quidem, ut eadem opii, cicutae aliorumque venenorum dosis, quae adultis aut minus irritabilibus innocua est, iis impune dari vel superhaberi non possit. Eadem et faeminarum ratio est, quae cum magis irritabiles sint ac debiles, quam viri, gravius quoque a quocunque fere veneno afficiuntur.

d. Status sanus aut morbosus.

Malo hysterico laborantibus fragrantia quaeviis ac oleritia, sanis plerumque innocua, perquam infesta sunt. Iterum soporis et paralysi decumbentibus maior venenorum acrum et irritantium dosis convenit, quam sanis.

e. Morbi praegressi.

Morbus variolosum qui semel perpetrati sunt, altera vice a varioloso miasmate infici nequeunt. Ceterum a praegresso fere quocunque alio morbo

cor-

corpus proclivius reddi videtur ad capienda detrimenta a venenis oriunda. Ita a miasmate vene-
reo ii facilius infici putantur, qui hoc morbo pluries iam defuncti sunt, quam qui ab eo non-
dum aut semel affecti fuere. *).

f. Vigiliae et somnus.

Plantarum narcoticarum halitus inebriantes,
qui vigilantibus saepe innocui sunt, dormienti-
bus nonnunquam mortem attulisse legimus.

g. Animis affectiones.

Quis enim est, qui nesciat, eos, qui terrore aut metu tenentur, facilius a contagio infici, quam qui metu omni carent. Porro venena narcotica et inebriantia plus nocent iracundis, quam man-
fuetis et tranquillis.

h. Status ieiunitatis aut repletionis.

Quibus stomachus multis cibis, iisque pin-
guibus aut mucilaginosis repletus est, venena
acria, ieunis nocentia, saepenumero innocua
sunt.

C 2

i. Men-

*) IO. FRIED. FRITZS Handbuch über die vener.
Krankh. Berlin 1790. p. 14.

i. Menstruum fluxus aut molimina.

Cum catameniorum tempore aut maior plerumque irritabilitas, aut idiosyncrasia singularis corpori insit, varia quoque venenorum in corpus vis esse debet. Ita puellae memini hystericae, quae quamvis opiatis adsueta esset, tamen tremoribus et anxietate corripiebatur, si sub menstruum fluxu opio non abstineret.

k. Graviditas.

Gravidae; cum plerumque sensiliores sint, a rebus multis afficiuntur, quae non pregnantibus innocuae sunt. Inde venena irritantia et diuretica, quae aliis saepe non nocent, in gravidis non, nisi magno praematuri partus metu adhiberi possunt.

3. Corporis pars, cui venenum applicatur.

Varia in varias corporis partes venenorum efficacia est. Miasma venereum ventriculo, innocuum ceteris corporis partibus, potissimum quibus tenuis cuticula est, nocet. Porro sulphuris fumus pulmonibus potissimum et oculis obest, idem vero fumus aliis corporis partibus communicatus nullam plerumque nemoram adfert,

§. 9.

§. 9.

Sequitur, ut de ceteris rebus circumstantibus (§. 6.) toquamur, quae cum magnam vim habent ad immutanda et ipsa venena, et animantium corpora, vario modo aut refraenare debent, aut augere venenorū in corpus officiam. Huc pertinet

1. Modus venenū applicandi.

Virus hydrophobicum et viperarum vix nocet nisi morsu aut vulnere applicatum. Nam cuti iliae communicatum, aut nemini, aut paucissimis detimento est.

2. Vehiculum, quocum applicatur venenum.

Opii maior dosis multo aceto commixta, saepe numero impune devorari potest, Daphnes mezerei cortices aceto infusae ac applicatae maiorem inde in corpus effirarium nanciscuntur.

3. Regionis, coeli annique temporis varia conditio.

Miasmata, potissimum volatilia, variam variis anni aut coeli conditionibus, in corpus humanum officiam habere videntur, ita, ut plures infectio-

fectioni nunc elapsi, mutata aëris ratione a contagio corripiantur.

§. 10.

CONCLUSIONES.

Ruibus itaque dictis (§. 7. 8. 9.) sat confirmata sententia est, omne venenum esse relatum i. e. sub certis tantum conditionibus noxiū, quibus dem̄tis aut detrimēta nulla, aut ipsa salus ad corpus nostrum a venenis redundat.

Quae vero sententia, licet satis universalis sit, tamen curatius hoc modo finiri potest:

1. *Omnia venena sub certis conditionibus inocua esse possunt, salubria vero non omnia.* Opium enim, cincta, hyoscyamus, mercurius sublimatus corrosivus et alia, cum restaurandae sanitati nonnunquam interficiant, praefantissimis adnumeranda sunt medicamentis. At miasma variolosum, morbillorum, venereum multaque alia, quamvis saepè innocua sint, nullös tamen effectus salutares edere valent.
2. *Ad producendos aut noxios, aut innoxios, aut salutares in corpore effectus, variae in variis venenis conditio-*

ditiones requiruntur, ita, ut eadem conditio, qua sit, ut alterius veneni effectus aut noxii sint, aut innoxii, in altero veneno plerumque non sufficiant, ad vim eius nocentem aut augendam, aut refrenandam. Sic miasmatis venerei effectus noxii a singulari partis, cui applicatur, indole potissimum pendent, cum genitalibus aliisque partibus, tenui epidermide tectis, obfit, ventriculo autem impune admovereatur. Detrimenta vero, quae ab arsenico proficiuntur, non partium, quibus porrigitur, structurae, sed doseos iuste quantitati adstricta sunt, quippe, si dosi maiori adhibetur, omnes corporis partes ab eo infestari possint.

Cuius vero asserti varia momenta haec sunt:

- a. Venenum quoddam, quod certo cuidam animantium generi, aut speciei certae, aut certo individuo certaque corporis parti noxium est, non cuicunque alio animalium generi, aut aliae speciei, aut individuo, aliaeve corporis parti impune communicari potest.
- b. Dantur venena, quae cuicunque animantium individuo, speciei et generi, partibusque corporis omnibus detimentoa sunt, sed variis tamen aut ipsis veneni, aut rerum externarum conditionibus. Ita arsenicum omnibus animalibus

omnique corporis parti, ob vim suam corrodentem, infestum est, ea tamen conditione, ut dosis eius, qua adhibetur, sat magna sit.

c. Dantur venena, quae uno eidemque animalium generi, aut speciei eidem, aut eidem individuo, eidemve corporis parti, modo detrimentosa sunt, modo innocua, sub variis tamen conditionibus ceteris.

d. Nullum datur venenum, cuius aut detrimetosii, aut innocui effectus a sola aetatis, sexus, temperamenti, et multorum aliorum (§. 8. litt. c. f. g. h. i. k.) ratione, tanquam ab unica horum effectuum conditione pendent; sed quorumcunque venenorū effectus aut noxii aut innocui, praeter sexus, temperamenti, aetalis etc. rationem, et aliis simul adstricti sunt conditionibus, v. c. dosi aliisque.

e. Contra multa sunt venena, quorum varii aut perniciosi, aut innocui effectus a sola doses insta quantitate, aut a partis, cui adpllicantur, certa conditione, aut a singulari denique corporis indole, determinantur, ita, ut praeter certam ipsius veneni quantitatem, aut praeter instam corporis indolem etc. ad producendum noxiū effectum nulla alia veneni conditio requiratur. Ita venenorū corroden-

dentium effectus perniciosi, solum doseos quantitati adstricti sint, quae si iusta est, hi detrimentosi effectus deesse non possunt.

f. Consuetudine venena quidem innoxia aut salubria, nunquam autem efficaciora reddi possunt,

g. Ab irritabilitate et sensibilitate imminuta, venenorum vires nocivae imminui aut tolli, nunquam autem augeri possunt; aucta vero aut irritabilitate, aut sensibilitate, quorumcumque venenorū vis noxia maior redditur.

§. 11.

At licet venena interdum innocua sint aut salubria, eorum tamen ob vim nocentem, quae ipsis inest, hoc loco mentio fit. Cum autem vis noxia non, nisi ex ipso effectu noxio i. e. e morbis, quos producunt venena, cognosci possit; sequitur, nobis simul respiciendum esse ad statum morbosum ac præter naturalem, qui a venenorum actione ad corpus nostrum redundat.

Ea vero toxicologiae pars, qua morborum, a venenis proficiscentium, ratio habetur, Pathologia toxicologica est, (§. 4. Introd.) cui-

C 6 ius

ius singula momenta a nobis nunc explicanda sunt.

PATHOLOGIA TOXICOLOGICA.

§. 12.

Pathologiae toxicologicae argumentum versatur in statu quoconque morbo ac praeternaturali, quatenus is a venenis proficiuntur. Morbo vero a veneno orto morbi venenosi seu *veneficii* nomen competit.

Veneficii vox non uno eodemque apud medicos sensu occurrit. Sunt enim, qui hoc nomine intelligunt actionem illam, qua cum homine quodam venenum communicatur. Nos vero *veneficii* nomen non, nisi morbis tribuimus, qui a veneno proficiuntur, quippe non omnes veneficium passi sint, quibus venenum datum est, sed si tantum, qui detimenta cuperunt e veneno sumto vel dato.

§. 13.

In Quocunque vero morbo veneno ad haec singula eius momenta nobis respiciendum est:

1. Ad mōrbū ipsum *venenosum* eiusque notas et necessarias, et accidentales. — Inde Nōfologia toxicologica.

2. Ad

2. Ad morbi venenosi originem atque caussas. — Inde Aetiologya toxicologica.
3. Ad morbi venenosi varias sequelas variaque eius molimina, corporis salutem spectantia. — Inde doctrina de salutari morborum venenosorum molimine.
4. Ad morbi venenosi symptomata, — Inde Symptomatologia Toxicologica.
5. Ad cuiuscunque morbi venenosi signa, — Inde Semiclogia toxicologica.

I.

N O S O L O G I A.

§. 14.

MORBORVM VENENOSQRVM NOTAE NECESSARIAE.
ET ACCIDENTALES.

Ad constituantem morbi venenosi effentiam
duo potissimum requiruntur:

1. Ut ad sit corporis viui status praeternaturalis et
morbosus.
2. Vthaez corporis morbosus affectio a veneno pro-
fecta sit. In quoque itaque morbo veneno-
fo

so nobis simul respiciendum est ad causam i. e.
ad venenum, a quo morbus nascitur.

Cetera omnia, quae in morbis venenosis ae-
tidunt, ad notas eius accidentales pertinent. His
itaque adnumerandae sunt variae horum morbo-
rum formae, quae ab eorum periculo, duratione,
progrellu, exitu etc. repetuntur.

§. 15.

MORBORVM VENENOSORVM DIVERSITAS.

Magna morborum a venegis proficiscentium
diversitas est, quippe variae sint eorum formae aut
necessariae, aut accidentales atque mutabiles.
Quo simul perspicitur, omnes morborum differen-
tias aut esse necessarias, aut accidentales,

§. 16.

Differentiarum essentialium praecipua ea est,
que ab varia ipsius status praeternaturalis ac mor-
bos natura repetitur. Omnes enim morbi, qui a
venenis proficiscuntur, id habent commune cum
morbis ceteris, ut aequa, ac hi, aut solidarum
partium sint affectiones, aut fluidarum, aut virium
functionumque.

Ac

Ac primo quidem partes solidae ita affici solent a venenis, ut aut nimis rigescant, aut relaxentur, aut destruantur et substantiae iacturam faciant.

Deinde fluidae partes a venenis aut condensari possunt, aut resolvi, aut putridae et acres reddi, aut locis alienis immitti, aut immobiles fieri, aut celerius circumvehi, aut imminui et excerni, aut praeter naturam denique in corpore retineri.

Tandem vires, quae solidis potissimum insunt, a venenis solent aut excitari i. e. ad constringendum impelli et irritari, aut supprimi et inertes reddi, aut ratione qualitatis ac directionis vario modo praeter naturam immutari.

§. 17.

Haec morborum discrimina valde tamen differunt ab iis, quae ipsa natura sancivit, quaeque coram aegrorum lectulis reperiuntur. Tantam enim morborum simplicitatem, quam nunc diximus, nunquam re ipsa invenimus, cum morbus omnis, qualis revera est, ex plurium affectionum simplicium concursu constet, variisque formam induat pro varia caulla et varia organi, quod morbus occupat, conditione ac indole. Haec au

tem

em naturales morborum venenosorum differentiae
ad varias classes et varia genera referri possunt,
quorum praecipua haec sunt:

1. Febres omnis fere indolis.
2. Inflammationes eorumque sequelae, suppuratione,
gangraena et sphacelus.
3. Ulcera.
4. Tumores varii generis.
5. Evacuationes praeter naturales.
6. Rerum excernendarum praeter naturalis re-
tentio.
7. Morbi hectici.
8. Morbi phthisici.
9. Dolores.
10. Morbi nervorum, quibus adnumerandae sunt
paralyse tum viuierales, tum topicæ, ipsimi
et convulsiones, lipothymia, syncope, asphy-
xia, hydrophobia, somnolentia, agrypnia,
vertigo etc.
11. Morbi mentales. Huc pertinent varia deli-
rierum genera, melancholia et mania.
12. Partium singularum affectiones, quorum ob-
hanc causam hoc loco mentio fit, quod par-
tium

tium affectarum structara varia variorum saepe morborum causa sit. Sunt autem hi singularum partium morbi

- a. Morbi cutis, exanthemata, et cutis maculae, et erysipelas.
- b. Morbi articulorum e. gr. contractura.
- c. Morbi oculorum, quorum coecitas praecipua est.
- d. Morbi aurium, ad quos referenda surditas est et aurium fusurru.
- e. Morbi faucium, ad quos pertinent gingivum et dentium affectiones, catarrhi, affluxus salivae, siccitas oris etc.
- f. Morbi pectoris, scilicet catarrhus pulmonum, tussis, sternutatio, singultus, asthma, palpitatio cordis, suffocatio etc.
- g. Morbi primarum viarum. Huc pertinent deglutitio difficilis, nausea vomitusque, diarrhoea, anorexia, alvi obstructio, fitis, colica, flatus, ardor ventriculi etc.
- h. Morbi viarum vrinae. Hi sunt mictus varia impedimenta, diuresis, incontinentia vrinae;

par-

partium alienarum, v. gr. sanguinis per urethram excretio.

i. Genitalium morbi, scilicet blennorrhœa, venoris aucta libido, priapismus, satyriasis, impotentia, fluxus menstrui vitia, abortus.

§. 18.

Altera essentialis morborum venenosorum differentia (§. 14.) ab ipsis veneni, a quo morbi nascuntur, diuersitate repetitur. Nam varia morborum genera variaeque species a vario, quod corpori afferatur, veneno pendent. Inde morbi arsenicales, mercuriales, narcotici etc. quorum ubiorem explicationem postea trademus,

§. 19.

Porro si morborum discrimina spectas, quae accidentalia dicuntur (§. 14.), ea iterum multivaria sunt, pro varia fede, origine, vario decursu etc. Primo enim ratione sedis, hi morbi dividuntur in vniuersales et locales, deinde ratione originis in morbos primarios, secundarios, idiopathicos, et quae sunt ceterae distributiones, quarum in vniuersali morborum doctrina mentio fit.

Maio-

Maioris vero momenti in toxicologia morborum divisio est in morbos apertos, occultos et larvatos, deinde in morbos endemicos, epidemicos et sporadicos, denique in morbos contagiosos et eos, qui contagio carent. Nam eorum praecipue mentio fiet in toxicologia specialis.

II.

AETIOLOGIA.

§. 20.

Cum in aetiologya toxicologica cauſarum ratio habeatur, a quibus proficiscuntur morbi venenosos, nos nunc differere oportet de cauſis horum morborum vniuersalibus, iisque non solum proximis et remotis, sed et formalibus materialibusque, ceterisque omnibus, quae vulgo pertractari solent in pathologorum scriptis.

§. 21..

CAVSSAE NECESSARIAE.

Omnis morbus venenosus a dupliciti cauſa repetendus est.

I. A

1. A certa quadam ipsius veneni in corpus actione.
2. A certa corporis, in quod agit venenum, conditione ac indole.

Quibus caussis positis, mōrbus ipse s̄istitur. Nām à veneni in corpus actione corporis quae-dam mutatio nasci debet, quae, si praeter natu-ram accidit, mōrbi venenōsi nomine venit. Ad producendum autem morbum venenosum non om-nis veneni actio, nec omnis corporis, in quod agit venenum, conditio sufficit, sed cuicunque morbo venenōso certa quaedam ac singularis et cō-poris indoles, et veneni actio subesse debet, quae si deest, mōrbus nullus à veneno p̄ficiisci potest. (§. 6. 7. 8.)

Quae cum ita sint, intelligitur, venenum eiusque certam in corpus actionem esse caussam occaſionalēm et materialem, corporis vero singularem conditionem ad cauſas praedispō-nentes et formales pertinere, utrumque autem cauſam necessariam s̄istere, cum absq̄ue ea mōrbus nullus venenosus esse possit.

§. 22.

C A U S A E R E M O T A E.

Sunt vero et aliae mōrborum venenosorum cauſae, quae cum per indirectum, vt vocant, ali-

aliquam vim habeant ad producendos hosce morbos, caussarum remotiorum nomine apud medicos celebrantur. Quarum duplex potissimum genus est, Aliae venena aut procreare, aut earum vim noxiā ita dirigere valent, ut corpori obſint, aliae vero corpus idoneum reddunt ad detrimen-
ta capienda, quae a venenis poſificuntur. His cauſis nemotis itaque adnumerandi ſunt varii ve-
nena et procreandi, et commutandi, et applicandi
modi, varia porro vehicula, quibuscum venena
corpori communicantur, variaeque regionis co-
lique mutationes, morbi denique varii, qui vim
habent ad procreanda miasmata etc.

§. 23.

I. VENENI ACTIO.

Quae hactenus diximus, uberior nunc expli-
canda ſunt. Atque ut primo de veneni in cor-
pus actione, (§, 25.) tanquam principe morbo-
rum venenosorum cauſa, loquar, ea non, niſi a
mutuo veneni cum corpore contactu poſifici pot-
est. Venenum autem corpus attingens applica-
tum eſſe dicitur, de quo haec monenda ſunt;

1. Veneni in corpus actio nulla eſt, niſi praegressa
veneni ad corpus applicatione i. e. praegresso
mutuo eius cum corpore contactu.

D 2

2. Facta

2. Facta veneni applicatione indeque exorta eius actione, morbus venenosus non semper subsequitur. Nam non omnis veneni actio morbum producere valet (§. 6. 7. 8. 9.).

§. 24.

Veneni autem in corpus actio duplex est, immediata scilicet et mediata. Illa dicitur, quae fit in partem eandem, cui venenum applicatur, haec vero, quae ad partes, a contactu remotas, intervenientibus partibus aliis transfertur. Quibus simul colligitur, actionem mediatam absque immediata esse nullam.

§. 25.

VENENI APPLICATIO.

At si spectas veneni applicationem, ea iterum distribui potest in externam et internam. Illa fit, si corpori extrinsecus applicatur venenum, haec, si a veneno intus procreato ac latente corpus afficitur. Ea autem veneni applicatio, quae extrinsecus fit, communicatio veneni seu applicatio per communicationem dicitur. Ex his et supra dictis satis liquet, venena, licet aut communicata sint cum corpore, aut intus procreata, tamen non semper, certe non statim proferre

ferre morbum venenosum. (§. 6. 7. 8. 9. 23. No. 2.).
Ita virus hydrophobicum, citra noxam, ullam,
per plures menses in corpore absconditum fuisse
legimus.

§. 26.

VENENI COMMUNICATIO ... VIAE COM-
MUNICATIONIS.

Ac primo quidem veneni communicatio cura-
tius a nobis consideranda est, quae variis et viis,
et modis, et formis variisque caussis perfici
potest.

Viae, per quas corpori nostro venena reddi et
communicari solent, hac sunt:

1. Os et ventriculus,
2. Nares, quibus nicotianae venenatae et odo-
res virulenti communicantur,
3. Pulmones, qui a quocunque fere aëre cor-
rupto ac venenato affici solent.
4. Aures, quibus, etiā rarissime, tamen nonnum-
quam venena induntur.
5. Oculi. His fumi et pulveres venenati potissi-
mum obsunt.

D 3

6. Anus

6. Anus, cui dysmata venenata infundi possunt.
7. Genitalia, quae coitui impuro potissimum patent, forte clanculum immitti venena possunt.
8. Cutis vniuersa, eaque vel laesa vel illaesa.

§. 27.

COMMUNICATIONIS MODI.

Deinde et modi sunt varii, quibus cum corpori nostro venena communicari possunt. Omnis veneni communicatio fit aut impressione veneni in cutis superficiem, aut admixtione eius et penetratione. Impressio veneni in corpus solo contactu perficitur, admixtio vero et penetratio fit aut resorbendo venenum, aut infundendo in vasorum, aut communicando ventriculo eiusque humoribus. Hinc simul conficitur

1. Quod nulla veneni admixtio aut penetratio locum habere possit, nisi impressione praegressa.
2. Quod ea venena, quae sola impressione corpori nihil danni afferunt, saepe obsint, si corpus penetrant, iterum, quod venena haud raro innocua sint, si corpori admiscentur, detimentia tosa

tofa vero, si cuti externae admouseantur. Nam venenorum effectus variis sunt in variis, quibus communicantur corporis partibus. (§. 6. 8.)

§. 25.

COMMVNICATIONIS FORMAE.

Porro et variae sunt formae, sub quibus institui possunt venenorum communicationes. Communicantur enim venena

1. Deglutiendo, quae oratione visitatissima venenorum communicatio est.
2. Cuti imponendo, inspergendo et infundendo. Exempla praebent cerussae pulveres, qui sub adsperginis forma magno cum sanitatis detimento in infantibus adhibentur.
3. Infricando. Ita mercurii sublimati corrosivi fricia nonnunquam detimento esse solent.
4. Naribus attrahendo, cuius exemplum praebet radicis hellebori usus.
5. Respirando halitus venenatos.
6. Lavando in fluidis venenatis.

7. *Osculando*, unde nonnunquam infectio venea orta est.
8. *Suctione* *) mammae, unde lactentium a matre, et matris a sobole infectio est.
9. *Coitu*, unde frequentissima a contagio venereo infectio est.
10. *Partus*. Inde contagia in vagina haerentia a matre ad foetum transferri possunt.
11. *Vsu suppellectilis venenatae*, quo et pertinent vestimenta halitu virolo repleta, pocula venenata etc. **).
12. *Iniectionibus i. e. clysmatibus, infusionibus in vase etc.*
13. *Vulnerando*, sive instrumentis id fiat, sive, morsu et dilaceratione vasorum.
14. *Halitu corpori undique admisso v. gr. aere contagii pleno.*

§. 29.

*) Antiqui morbi recrudescents per lactricem inducti cum gallico vel medico collatio per ANT. EVERARDI, Medioburg. ff. a.

**) Conf. PERILL. GRVNER I. Der gemeinschaftl. Kelch, nebst einigen historischen und medicin. Zweifeln. Jena 1785. — Die venerische Ansteckung durch gemeinschaftl Trinkgeschirre und durch den gemeinschaftl. Kelch, Weisenf. und Leipz. 1787. Absentit et confirmat SOEMMERING. De Morb. Vaso. absorbent. Traiect. 1795. §. 35. 73. cf. GRVNERI Script de morbo gallico, Ien. 1795. in primis Morb. Gall. Orig. Maran, p. 10.

COMMVNICATIONIS CAVSSAE.

Denique et caussae dicendae sunt, a quibus
repeti debent venenorū communicationes. Ete-
num venena aut consulto corpori nostro com-
municantur, aut absque ullo corpus lae-
dendi animo.

Prius fit

1. Si animo doloso alicui venenum porri-
gitur.
2. Si puniendi caufsa venena communican-
tur: Id quod hodie perraro fit. Socratem
poculo cicutae viroſae occisum nouiuus.
3. Si quis vitae taedio captus ſibi ipſi vene-
num ſuppeditat.
4. Si venenorū vires experiendo cognos-
cere cupimus. Hoc vero fit, dum aut aliis,
aut nobis metipis venena porrigitur.
5. Si graviora veneficia prohibere ſtu-
demus. Ita variolae inſeruntur, ne gravius
a naturali infectione corpus afficiatur.

Posteriorius fieri potest

1. *Error et ignorantia.*
2. *Imprudentia et cautionibus negligctis.*
3. *Si veneni cuiusdam communicatio evitari nequit, quemadmodum infectio a miasmate putrido accidere potest.*

§. 30.

APPLICATIO VENENI INTERNA.

Sequitur, ut de altero venena applicandi modo, qui *intrinsecus* fit, (§. 25.) uberior loquamur. Intus autem tum tantum applicari potest venenum, si in corpore ipso procreatrum est; Quod ut fiat, necesse est, corpus antea a morbo quodam afficiatur, a quo, tanquam a causa sua, veneni procreatio pendet. Ea enim perpetua et immutabilis naturae lex est, ut corpus, quamdiu valet, ad procreandum venenum ineptum sit.

Quisque facile intelliget, hic tantum de iis venenis sermonem esse, quae, cum in corpore procreatuntur, simul eidem corpori obsunt. Etenim et alia extant venena, quae in quorundam animalium corporibus procreata, iisdem animantibus haud nocent. His, ut exemplo utar, adnumerandum est virus viperarum, aliorumque animalium venena, quorum suo tempore ac loco ratio habebitur.

§. 31.

§. 31.

Haec autem corporis morboſa affectio, qua virus in ipſo corpore procreatur, (die gifterzeugende Krankheit) a dupli ci cauſſa naſci potest. Proficilcitur enim hic morbus aut a veneno quodam extrinsecus applicato. aut ab alia cauſſa ita agente in organa, ut haec ad procreandum virus idonea reddantur. Prioris exemplum miasma variolosum praebet, quod si corpori admovetur, hoc aptum reddit ad procreandam maiorem eiusmodi miasmatis copiam. Posterius vero sit canero mammarum, qui a ſola animi triftitia exortus multum miasmatis foetidissimi affert.

§. 32.

Duo itaque morbi venenosi hoc loco confiderandi ſunt, quorum alter primarius, a veneno extrinsecus admoto profectus, corpori virus ſuppeditat, alter vero subsequens, a viru iamiam procreato et corpori intus applicato naſcitur. Ita febricula prima, a miasmatis variolosi communicatione exorta, morbus primarius eſt, a quo, ut videtur, ingens illa miasmatis copia, quae cutim undique tendit, procreatur. Cetera vero morbi variolosi ſymptomata, quae poſt eruptionem aut ea durante, apparent, morbum ſecundarium conſti-

situunt, quippe qui certe pro parte a miasmate, maiori quidem copia in corpore procreato, profiscatur.

§. 33.

Ea veneni in corpore procreatio, quae ab alio veneno, extrinsecus admoto, profiscitur, (§. 31.) perfici potest aut assimilatione i. e. immitatione humorum in eiusdem veneni extrinsecus applicati naturam, aut certa quadam veneni hu-
ius in organa actione, qua haec apta red-
duntur ad procreandum noyum in corpore virus.
Prius non, nisi praegressa admixtione veneni ex-
trinsecus applicati locum habet, posterius vero et
admixtione, et sola impressione veneni in organa
evenire potest.

§. 34.

Altera vero praeternaturalis veneni in corpo-
re procreatio, quae absque ullo alio veneno intrin-
secus admoto efficitur, profisci potest aut ab ani-
mi qualiam pathemate, aut a peruersa rerum ex-
ternarum in corpus actione. Exemplo sunt mias-
matis hydrophobici a sola insolatione, et miasmatis
cancroli ab animi tristitia in corpore procreatio.

§. 35.

§. 55.

M I A S M A Q V I D.

Venenorum autem praeter naturam in corpore ortorum nonnulla ita sunt comparata, ut, si in aliud corpus transferantur, eundem in hoc, ac in eo, a qua profecta sunt corpore, morbum producere valeant. Quod dum sit, venenum dicitur miasma, seu virus contagiosum, morbus vero, a quo profectum est miasma, contagiosus appellari solet.

Miasma vero in corpore procreari potest vel ab alio miasmate corpori applicato, quemadmodum sit in variolis, vel a veneno quodam non contagioso, vel denique ab aliis caussis, et externis, et internis, quae organa ita afficerent, ut haec ideonea fiant ad procreandum miasma. Prius sit in morbillis, variolis aliisque morbis contagiosis, alterum in morbis quibusdam putridis locum habere videtur, quorum miasma nonnunquam a halitu paludoſo, corpus afficiente, producitur; tertium evenire solet in morbo hydrophobico idiopathicō et cancro mammarum sponte exorto.

Morbus vero contagiosus, qui a nullo alio miasmate profectus est, in orbus contagiosus primarius dicitur.

§. 56.

a. CORPORIS VIVI PECULIARIS CONDITIONE.

Quibus peractis, ad alteram morborum veneforum causam progredimur, (§. 21. No. 2.) scilicet ad singularem corporis viui conditionem, quam vulgo predispositionem vocant; Quae si adeat, et iusta veneni in corpus actio sit, corpus ipsum inde praeter naturam mutari debet i. e. a morbo venenoso affligi. Haec autem corporis viui praeternaturalis mutatione, a veneno profecta, vel passiva est, vel activa. Illa fit, dum corpus a veneni actione ita afficitur, ut vires eius praeter naturam quiescant ac supprimantur, haec vero, si corporis vires praeter naturam excitantur, et ad propriam actionem impelluntur, quam vocant reactionem. Passiuae mutationis exempla praebet status ille morbosus, qui a venenis narcoticis profiscitur, quibus fit, ut corporis vis sentiens et irritabilis aut plane extinguitur, aut certe languescat. Actiuam vero mutationem seu reactionem praeternaturalem ab acribus venenis nasci videmus, quae corporis vires ita excitare ac urgere solent, ut conuulsiones inde et diri dolores oriuntur.

§. 37.

L E G E S.

Ex his dictis colligi potest, quaenam sint leges, quibus obediens cogitur natura in procreandis morbis venenosis. Princeps enim et universalis naturae lex haec est:

A quacunque veneni sub certis conditionibus in corpus actione proficiens debet corporis quaedam praeternaturalis affectio i. e. morbus venenosus.

Quae vero lex universalis curatius hoc modo finiri potest.

I. Praeternaturales corporis affectiones, a venenis profectae, diuersae sunt et gradu, et re ipsa. (§. 15 - 19.).

II. A veneni in corpus actione non solum ea pars affici solet, cui venenum applicatur, sed et partes ceterae a contactu remotae. Ita ab opio ventriculo ingestu brevi tempore post sensuum hebetudo oriri solet. — Inde oritur morborum venenosorum in idiopathicos et sympathicos divisio.

3. Facta

3. Facta veneni in corpus actione, interdum sit, ut ea pars, cui vénenum applicatum est, aut non, aut certe non tam graviter affligatur, ac partes ceterae, quae a veneni contactu quam maxime remotae sunt. Ita in cuniculis, qui a communicata per anum amygdalarum amarorum aqua statim sentiendi facultate et cordis motu privabantur, motum intestini recti peristalticum diu incolumem perdurare vidi.
4. A veneno, in plures corporis partes agente, una aut altera pars tantum nonnunquam praeter naturam affici solet. Ita paucissimae tinturae canthariduum guttulae intus sumtae et in sanguinem resorbtæ, non, nisi vrinæ praeternaturali secretionem efficiunt.
5. Veneni in corpus actionem non statim semper ex sequi solet corporis praeternaturalis affectio, ita, ut saepe tun demum corpus a morbo venenosè affligatur, cum venenum in corpus agere iamiam desit. Huc pertinent halitus saturnini et arsenicales, a quibus longe post eorum in corpus actionem phthisis et dolores colici profiscuntur.
6. Corpus a quorundam venenorum actione semel tantum praeter naturam affici potest. Exempla vides

vides in miasmate varioloso et morbilloso
quae semel tantum corpori infesta sunt.

§. 38.

DIVERSITATIS MORBORVM VENENOSO-
RVM CAVSSAE.

Cum morbi, qui a venenis proficiscuntur, non solum gradu, sed et re ipsa valde inter se differant (§. 37. No. 1. §. 15 — 19.) sequitur, ut caussas eruamus, a quibus proficiscuntur horum morborum discrimina. Omnes autem morborum venenosorum differentiae repetendae sunt aut ab ipsis veneni diversitate, aut a varia corporis vivi conditione ac indole, aut denique a rerum circumstantium varietate.

§. 39.

Prima itaque morborum diversitatis causa in ipsis veneni varia conditione et indole quaerenda est. Differunt autem venena

i. Elementis, quibus constituuntur: Quae si varia sunt, quoad naturam, quantitatem, proportionem aut mixtionem, varii quoque morbi inde oriri debent. Alia enim corporis affectio est, quae a principio acri, alia, quae a narcotico proficiscitur. Porro grauiores esse solent

E.

morbis

morbi, qui ab opio, quam qui ab eadem laudani liquidi dosi nascuntur; Nam plus opio, quam laudano liquido principii narcotici inest.

2. Dosi. Ab uno enim eodemque veneno, varia dosi adhibito, varii quoque morbi nascuntur. Ita mercurii sublimati corrosui dosis maior et uno haustu sumta illico ventriculi inflammatio nem, quin mortem ipsam inferre valet. Plures vero eiusdem mercurii doses minores et sensim devoratae febrem mercuriale aut salivationem nonnunquam producunt.

3. Forma, qua sit, ut gradu potissimum inter se differant morbi venenosí. Multa enim venena minus detrimentosa esse solent, si sub forma solidá, quam si sub fluida corpori extus applicantur; Nam facilior in fluidis, quam in solidis evenire potest resorbítio.

§. 40.

Altera cauſa, qua sit, ut morbi venenosí inter se differant, varia corporis vivi conditio et indeoles est. Huc pertinet

1. Ea corporis indeoles, quae in diuerfis animalium generibus aut speciebus quoque diuersa est. Inde canes, qui

quibus miasma venereum inditum est, aut a morbo nullo, aut a simplici tantum inflammatio-
ne topica affici solent. Ab eodem vero mias-
mate, hominibus communicato, morbos vere
venereo nasci videmus.

2. *Varia corporis individui indoles ac conditio.* Ita opium, quod aliis somniferum
est, puellis hystericis nonnunquam convulsiones
et cephalalgiam affert. Porro febres, quae a miasmate morbilloso aut variolo producuntur,
variae sunt, pro varia corporis affecti conditio-
ne, ita, ut fortiores a febre inflammatoria,
fensiles a neruosa, debiles a putrida plerunque
corripiantur.

3. *Partis, cui venenum applicatur, va-
ria structura et indoles.* Acria enim
venena, si palmonibus admouentur, tuftim,
phthisin aut suffocationem producunt. Sin vero
cum ventriculo comunicantur, vomitus et
doles colicos et diarrhoeam excitant.

§. 41.

Denique a rerum circumstantium *varia con-
ditione variae quoque morborum formae proficiunt
solent.* Inde fit, ut morbi *venenosi*, potissimum

F 2

qui

qui a contagio producuntur, diuersam formam in-
duant, prout diuersa est coeli aut anni conditio;
ita, ut summa aestate plerumque sint putridi, hie-
me vero et vere ineunte magis ad inflammationem
proclives,

§. 42.

CONCL VSIONES.

Hinc conficitur

1. A variis venenis, sub iisdem conditionibus ad-
hibitis (§. 40. 41.), varios nasci morbos.

2. Ab uno eodemque veneno, varia dosi, aut
varia forma, aut variis denique corporis rerum-
que circumstantium conditionibus, (§. 39. 40.
41.) exhibito, varios quoque morbos pro-
fici.

III.

S Y M T O M A T O L O G I A.

§. 43.

Res omnes, quae praeter naturam accident in
morbis venenosis, et sensibus animadueri possunt;
Symptomatum nomine comprehendi solent;

quo-

quorum alia singulis quibusdam morbis propria sunt, alia vero pluribus communia.

Symptomata propria paucis quidem, nec tamen plane nullis morbis venenosis, competit. Omnes enim morbi, qui a miasmate quodam specifico producuntur, adiuncta habent talia symptomata propria sibique peculiaria, quibus differunt a morbis ceteris omnibus.

Cetera, quae ad symptomatologiam toxicologam spectant, a Pathologia vniuersali repetenda sunt,

I V.

DE SALVTARI MORBORVM VENENOSORVM MOLIMINE.

§. 44.

Sequitur nunc, ut de vi naturae medica loquamur, qua sit, ut morbi a venenis profecti aut profligari possint, aut ita immutari, ut minoria inde ad corpus detrimenta redundent.

Omnis autem morborum venenosorum in pristinam sanitatem restitutio hoc modo a natura perfici solet

E 3

2. Ve-

1. *Venenum eiiciendo*, quod fit aut emesi, aut diarrhoea, aut sudoribus, aut pustulis in cute nascentibus, aut aliis modis, quibus res praeter naturales in corpore latentes excernuntur.
2. *Venenum coquendo* i. e. ita immutando, ut aut minus noxium, aut excretioni aptum redatur. Hinc venena acria et solidas partes corrodentia a pure aut pituita ita obvolui solent, ut et mitiora evadant, et excretioni idonea.
3. *Corpus obtundendo* i. e. *venenis affusando*, quo fit, ut a venenorum vis noxia minus grauiter affligi possit.
4. *Detrimenta corrigendo*, quae corpori a venenis iamiam allata sunt. Huc referenda est partium a venenis destructarum regeneratio; partium emortuarum separatio, virium debilitatarum refectione etc.

§. 45.

Haec vero naturae vis medica, et si in quounque morbo veneno confusa sit, haud semper tamen sufficit ad restaurandam sanitatem amissam. Hinc morbi venenosii aut in mortem exeunt, aut in morbum alium, plerumque mitiorem.

V.

V.

SEMILOGIA.

§. 46.

Supereft, vt signorum rationem habeamus, a quibus repeti potest morborum venenosorum iusta cognitio. Signorum autem nomine non solum morbi symptomata intelligenda sunt, sed et res ceterae quaevis circa aegrum accidentes, e quibus et morbi praesentis, et praeteriti, et futuri dijudicatio hauriri potest. Hinc primo signa diagnostica, deinde anamnestica, tum demum prognostica a nobis explicanda sunt.

§. 47.

DIAGNOSIS.

Morborum venenosorum diagnostin praebent

1. Symptomata in aegro praesentia; Quae si morbo cuidam venenoſo propria sunt, sola ſaepe ſufficient ad cognoscendam huius morbi naturam; Si vero et aliis morbis competent, tum ſimil ad cetera signa nobis recipiendum est. Ita, vt exemplo star, ſola morbi variolos symptomata, cum ſint peculiaaria, morbi

E 4

huius

huius diagnosis praehent. At colicam si spectas,
quae a venenis acribus proficiuntur, huius tam
abdicta plerisque venenosa indoles est, ut sym-
ptomatis folis cognosci vix possit.

2. Excrementorum exploratio. Inquiren-
dum enim est

a. Quinam sit exrementorum color, qui odor,
quae rerum admixtarum conditio. Inde enim
veneni devorati et exrementis admixti natu-
ra nonnunquam cognosci potest.

b. Instituenda est chemica rerum ex-
cretarum analysis, quae iterum saepe
docet, qualis veneni admixti indoles sit.

c. Excrementsa praebenda sunt anima-
libus. Quae si inde aegrotant, verosimile
reditur, hominem morbo veneno laborare.
Cave tamen, ne nimium tribuas huic experi-
mento. Nam multa, hominibus nocentia,
animalibus innocua sunt, et iterum, quae
animantibus nocent, hominibus saepe impu-
ne exhibentur vel admouentur.

3. Rerum circumstantium sedula consi-
deratio. Hinc medicum respicere oportet

§. Ad

- a. Ad cibos potusque, quibus usus est aeger, antequam a morbo affligebatur. Cibi et potus non solum inspiciendi sunt, sed et arte chemica, quoad eius fieri potest, inquirendi et animalibus praebendi. Inde enim saepe certiores reddimur de veneno homini communicato.
- b. Ad supellectilem, qua aeger usus est. Ita patinae cupreae, cum aerugine saepe obductae sunt, graves morbos, quin mortem ipsam afferre possunt.
- c. Ad medicamina aegro data, antequam a morbo corripiebatur. Multa enim medicamenta simul et venena sunt. Quare sedulo nos inquirere oportet et medicamenta ipsa, et pharmacopoeum, et medicum, et schedulas ab eo concinnatas. Hinc saepe palam redditur, num aegro venenum, et quale communicatum sit.
- d. Ad locum, quo cibi quibus aeger usus est, fernati fuerunt. Ita oleribus in hortis aut ruribus nascentibus propinquae saepe sunt plantae venenosae, quae una cum oleribus ipsis ab aegro devorantur.

- e. Ad locum, quo aeger commoratus est, aut adhuc commoratur. Hinc, ut exemplo utar, verosimile est, apoplecticos, qui in locis halitu suffocante repletis versabantur, ab hoc halitu esse insectos.
- f. Ad res aegro proxime adiacentes. Hinc pulueres arsenicales, vulgo Mäusegift, aut plantae narcoticae aegro proxime adiacentes, magno medico indicio sunt, cuius naturae sit venenum sumptum vel datum.
- g. Ad aegri labores. Inde metallarii colici laborantes, a venenis metallicis infecti esse praesumuntur.
- b. Ad aegri ipsius de veneno sibi dato vel sumto confessionem.
- i. Ad animi affectionem, qua aeger tenetur. Hinc homines melancholici et tristes, si a morbo quodam subito corripiuntur, de veneno sibi communicatio suspecti sunt.
- k. Ad pharmaceopoei indicium de veneno vendito eiusque emtore.
- l. Ad aegri cum hominibus suspectis et beneficis aut ipsi inimicis commercium.
- m. Ad

m. Ad ipsius beneficium facinore suo confessionem,

n. Ad hominum, qui cum aegro familiariter vivunt, de eodem, quo aeger affectus est, morbo quaerelas. Ita nonnunquam fit. ut plures homines, qui eodem, quo aeger usus est, vino venenato fruuntur, ab eodem quoque morbo corripiantur.

o. Ad constitutionem epidemicam. Hinc plures homines eodem morbo contagioso laborare possunt.

§. 48.

SIGNA ANAMNESTICA.

Morbi venenosū, aut omnino, aut pro parte praeteriti, signa repeti debent

1. A morbi aut plane, aut pro parte praeteriti reliquiis. Huc pertinent aratum contractiones a colica saturnina remanentes, variolarum cicatrices etc.
2. A symptomatibus praegressis ceterisque rebus, quae in morbo iamiam praeterito olim accidierunt. (Conf. §. 47.).

5. A

3. A cadaveris exploratione. Huc autem pertinent

a. Cadaveris integri contemplatio. Ita in cunctis eorum, qui veneno interfecti sunt, nonnunquam maculae liuidae et nigrescentes statim post obitum oriuntur, et crines cum unguibus decidere solent. Quod si cadaveri accidit, resque ceterae consentiunt, verosimile redditur hominem veneno esse interfectum.

b. Cadaveris dissectio, qua sit, ut, si quis homo veneno interfectus est, aut ipsa venena nonnunquam reperiantur, aut certe sequelae quaedam ab infectione profectae, scilicet ventriculi et intestinorum inflammatio, corrosio etc.

c. Res ceterae circumstantes, scilicet

a. Locus, quo reperitur cadaver. Haec si quis in fodina halitu suffocante repleta exanimatus reperitur, verosimile est, eum ab hoc halitu interfectum esse.

B. Situs cadaveris. Ita ab halitu venenato suffocatorum facies versus terram conuersa esse solet.

y. Ve.

Y. Venena ipsa cadaueri proximae
adiacentia, quae ni certum, tamen
probabile beneficij praegressi signum pra-
bent;

§. 49.

P R O G N O S I S.

Morbi venenosis aut plane, aut pro parte fetu-
ri signa repetuntur

1. A signis anamnesticis (§. 48. No. 2.).
Ita, ut exemplo utar, probabile est, hominem
a colica saturnina semel grauiter affectum, al-
tera vice, sub iisdem conditionibus ab hoc
inorbo, quoque vehementer vexari. Iterum
homo a variolis semel infectus, altera vice aut
nunquam, aut perraro ab iis corripitur.
2. A signis morbi praesentis (§. 47.).
quibus potissimum cognosci potest, quinam
morborum sit exitus. Hinc symptomata, quae
morbus a morsu viperarum exortum concomi-
tantur, exitum dubium denunciant.
3. A corporis aetate, temperie etc. (§. 40.)
Quo iunior enim aut irritabilior homo est, eo
grauior plerumque morbus esse solet, qui a ve-
neno proficiuntur.

4. A



4. A partis affectae structura et inde-
lē. (§. 40. No. 3.). Viscus quo nobilius est,
et quo magis vitae sustentandae necessarium,
eo periculosis morbus **venenosus** esse debet, a
quo afficitur.

5. A **veneni** applicati **natura**, **quantita-**
te et **forma**. (§. 39.). Levior est morbus,
qui a veneno mitior, quam qui ab efficaciori
proficiuntur. Porro quo minor **veneni** dosis,
et levior et morbus esse solet inde oriundus.

~~Amicorum tuum et meum
et amicorum amicorum tuorum et meorum
et amicorum amicorum amicorum tuorum et meorum
et amicorum amicorum amicorum amicorum tuorum et meorum~~

CARISSIMO SVO

FRIDER. GVIL. CAROLO SVCCOW

A. I. G. C. B A T S C H.

Consanguinitatis vinculo arctiore, magis vero et nobiliore animorum Tibi juncto, quod publice amicam mentem, integerrimam aestimationem, hoc loco declarare voluerit, ignoscas. Non vanitas, non frigens moris soliti consuetudo, non anxia benevolentiae captiudinum cura, me ad laudes vel vota impulerunt. Iustum tantum esse persuasus, mihique ipsi iucundissimum, fateor, me per favorem Tuum sincerum, ingenii Tui liberalitatem, animi candorem, per plures annos fuisse felicem et consolatum. Venerabili Tuo patri, et fratri meritisimo nunquam Te hucusque vidimus indignum; certissime eorum famam, vel, si mavis, merita, sedulo sequens; in posterum tueris. Certissi-

me,



me, dico: Erit enim indeleibile inter continuas vitae
humanae nugas, infidias, pericula, calamitates, ani-
mi Tui decus, probitas et ingenium; civibus eris
medicus humanus, indefessus, doctus, egregius; vero
vitam impendes; sis nobilitate factorum felix, carior
sempor amicis.

LEADER CAN CHOOSE ACCORDING TO HIS OWN CONSCIENCE.

Uf 2436

X2499770

nc

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

E X H I B E N S

TOXICOLOGIAE
THEORETICAE
DELINEATIONEM

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM

ORDINE
PRO IVRIBVS DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
RITE OBTINENDIS

A. D. XXV. IVLII MDCCCLXXXV.
PVBLICE DEFENDET
A V C T O R

